

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Hugues d'Avallon, Bishop of Lincoln. Certificate arresting to the bishop's visit to the 'fratres Sancti Lazari in Anglia apud Burton' dated about 1199-1200. Public Records Office of Kews, London, Parchment ms. E. 40 - 11147

- Transcribed in; R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, p.203-204
- Transcribed in: Charles Savona-Ventura. The Order of Saint Lazarus in the Holy Land. Grand Priory of the Maltese Islands - MHOSLI, Malta, 2011.

~ 1199-1200 Burton, Leicestershire, England	Hugues d'Avallon Bishop of Lincoln	Certificate by the Brothers of Saint Lazarus in Burton, England of his visit and blessing of their cemetery by the Bishop of Lincoln Hugues d'Avallon on their demand and on the mandate of Pope Innocent.
--	---------------------------------------	--

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, fratres Sancti Lazari in Anglia apud Burton [...] eternam in Domino salutem.

Ad vestram omnium notitiam volumus pervenire, quod cum dominus Hugo Lincolniensis episcopus, ad instantiam nostram et ex mandato summi Pontificis Innocentii, ad domum nostram causa cimiterii nobis benedicendi accederet, volente eodem domino Hugone episcopo Lincolniensi sicut visum fuerat indemnitati maternis ecclesie providere spontaneum tam rationabili voluntati prebentes assensum corporaliter singuli nomine universitatis, nostre prestilimus sacramentum quod, ad sepulturam in eodem cimiterio neminem admitteremus nisi fratres nostros; eos videlicet qui se in incolumitate sua domui nostre reddiderint, ita quod habitum nostrum cum signo suo susceperint sicque inter nos perseveraverint. Ceterum ne receptio fratrum nostrorum cuiquam possit scandalum generare, promisimus sub eodem juramento quoddam quod est etiam regule nostre consonum, videlicet quod neminem admitteremus in fraternitatis nostre habitum nisi plene absolutum a jure parochiali per assensum rectoris ecclesie, absolutum, etiam a vinculo matrimoniali, et ab aliis vinculis quibus aliqui tenentur obligate, quominus possint se domui nostre conferre.

Nichilominus repermisimus sub eodem sacramento, quod omnem diligentiam quam potuerimus fideliter adhibebimus ut haec conventio confirmetur sigillo communis capituli

nostri. Adiecimus etiam sacramento consilio venerabilis patris nostri supramemorati Hugonis Lincolniensis episcopi nos fideliter procuraturos esse, ut quotiens novi magistri nobis prepositi fuerint, ipsi hoc sacramentum innouent coram decano loci et rectore ecclesie de Mealton [...]. Denique ad extricationem omnis versute suspicionis consensimus, si in aliquo forte quod absit posteris temporibus a nobis contra hec statuta ventum fuerit ut cimiterium nostrum a sepultura christiana suspenditur.

Sepredictus quoque pater noster dominus Hugo Lincolniensis episcopus ne aliquis fratrum nostrorum subsequentium ausu temerario contra hanc repermissionem venire presumat sententiam excommunicationis tulit in omnes pagine huius violatores. Ut autem fratrum nostrum stabile illibatum et inconcussum in perpetuum permaneat, illud presentis pagine testimonies et sigilli nostri patrocinio dignum duximus corroborate. Hiis testibus magistris Rogero decano Lincolniensi, Ricardo subdecano, Ricardo de Swaleclum, Hugone capellano et Andrea Lincolniensis ecclesie canonicis, magistro Rogero de Sumerford [...], Hugone de Rolueston [...], magistro Roberto de Holm, Eustachio de Wilton, Simeone de Stapelford [...] decano, Petro decano de Affordeby, Ricardo de Kechleby, Herberto de Scaudeford [...] et aliis multis.